

Septima Conditio
hominum modernorum.

Errori
obnoxii
etiam sa-
pientes

75. **M**oderni homines er-
rori & ignorantiae
obnoxii sunt non solum ru-
des & juvenes, sed grandae-
vi & disciplinis experientia-
que subacti.

76. Recte adeo Ictus di-
xit, se etiam si alterum pe-
dem in tumulo haberet ad-
huc tamen aliquid velle ad-
discere: agnoscens quantum
sibi deesset; qui nostrae con-
ditionis hominibus praecipuus
solet esse quantumvis multi
studii fructus, *intelligere,*
quantum nescias.

77. Longe alia sit oportet
hominum conditio, quibus
Heterodoxi *solam rationem*
ducem sufficere decernunt.

Octava & Nona
Conditio Hominum qui
nunc sunt.

Ratio im-
peditur
externis,
& ex sua
met limi-
tatione

78. **M**oderni homines ra-
tionem non solum
propria intrinseca limitatione
obnoxiam habent errori &
ignorantiae, sed etiam ex-
ternam

79. Volat ratio mea in Ratio ad-
inferius mundi hemisphae- modum
rium consideratur ibi quae vaga,
necessesse sunt: Momento ci-
tius etiam nolente me domi
jamjam est.

80. Frænum ei addo, ut
restitet, atque hoc jam quod
præ manibus est contempletur
instantius: subito nec
volenti mihi nec advertenti
evasit, sidera avernum-
que omnem jam pervagata
priusquam id me advertat.

81. Ad decernendam de locorum
justo dubitationem oportet tamen
cognoscere distita pluribus distantia
forte simul locis. Possent arcetur,
ratio, si sola subsisteret, hæc
forte nutu uno perspicere;
sed hanc carnem & ossa se-
cum asportare non potest.
Dum nuntia veniunt, occasio
elabatur, error committitur.

82. Ipsa rerum ad vitæ & rerum
regulam, sine auctoritate, multitu-
dine,
necessariarum & cognoscen-
darum immensa multitudo,
longe excedit hominis vim
atque atatem, quæ non ad
hoc solum sed ad dentibus
etiam prospiciendum à mul-
tis impendi magna ex parte
debet. Dimidium vitæ au-
fert

fomno, fert fomnus & pastus; qua-
drantem amici, fabulæ,
adversis reliqua corporis cura: ejus
&c. quadrantis quod superest,
furantur morbi, res adver-
sæ, lites, alia multa.

Moder-
nam con-
ditionum
modernis
auferunt
Heterod.

83. Hanc conditionem
auferre modernis homini-
bus, hoc est ex modernis
non modernos facere debet,
qui solam his sufficere ratio-
nem jubet.

Decima ac Undeci-
ma conditio modernorum
hominum.

84. **M**odo qui sunt homi-
nes, ii multis rebus
internis atque extraneis sæ-
pissime impediuntur à ratio-
nis usu ad dispiciendum mo-
mentosa necessario.

Passiones
rationem
turbant.

85. Omnis illa passionum
turba, quarum undecim nu-
merare philosophi solent,
verum cognoscere sæpissime
numero prohibent.

Amor

86. Amor male feriatus
tragica hujus rei exempla
edidit, quorum cum sint mul-
ta adeo decantata, ut etiam
pro scena exhibeantur; alia
occultiora longe sunt plura.

87. Odium non Nover- Odium,
cale modo, sed & fraternum
& quodlibet aliud crasso ve-
lo rationem obnubere solet.

88. Quid non habendi di- Cupiditas
ra libido & auri sacra fames justitiæ
imponit iis maxime, qui jus inimica,
tractandum habent; Nulli
rei quam justitiæ inimicior
cupiditas est, excæcans in-
tellectum ut videns non vi-
deat, ut jus cernat ubi nul-
lum est jus.

89. Non enumerabo ce- Ira, metus
teras rationis pestes, Tram, &c.
tristitiam, metum potentio-
rum, non excellendi cupi-
dinem, hostes domesticos.
Sunt etiam externa vitæque
carentia quæ turbent. Puta Vinum
vinum, aëris intemperies,
amici, uxor, liberi, vicini,
hostes, mortes necessario-
rum, bella, cerimoniarum, ne-
gotiorum multitudo.

90. Hæc omnia detrahere Conditio-
nostris hominibus debet qui nes mo-
eos *sola ratione* ad justum co- dern i sta-
lendum uti præcipit. De- tus aufe-
bet enim facere ne passio- runt he-
bus ceterisque circumve- terod.

Duodecima ac decimatertia Conditio modernorum in Germania hominum.

Veteres quæsi-
erunt ratio-
nem va-
riam

91. **C**ognovere Rationis infirmitatem dudum Germani nostri veteres, utut in armis fere toti ac venatibus. Ea certe causa factum ab iis est, ut varia subsidia huic morbo conquirent, non alias quam ab **AUCTORITATE** petita.

ab aucto-
ritate vi-
rorum
pruden-
tiorum,

92. Sic elegere inter se viros prudentiæ laude præstantes, quorum ductum sequerentur & imperium publice & privatim. Horum *auctoritate* res controversæ dirimebantur. Conservabant privatim ac publice præcepta majorum & exempla, quæ, quod libris carent, Carminibus & narrationibus in pueros propagandis studebant conservare non minus sollicitè quam Romani in Duodecim tabulis. Atque utinam nimia hujus dominatoris populi ad exterarum plagas migratione, fœderumque domi mutationibus non interciderent nobis omnia hæc carmina, le-

Carmini-
bus popu-
laribus

geremus, opinor totidem Juris naturæ libros.

93. Qui vero deinde se Legibus cuti sunt Germani, ex iis profecerunt, quos debellaverant. Et quemadmodum Græci ex barbaris, Romani ex Græcis condidicere leges & Justitiæ multam normam, ita Germani postquam suis Salicis, Bajuvariorum, Saxo-

tum pro-
priis,
tutum ad-
scititiis,
Judici-
bus,
Principi-
bus

num, Allemannorum, Longobardorum diu usi sunt, leges tandem adoptarunt Romanas. Eorundem more statuerunt judicium varium ordinem: Principibus adjunxerunt Ordines seu optimates: celebrarunt Comitia: Omnia ad inveniendum servandumque justum aut unice aut præcipue instituta.

94. Hic enimvero factio Objectio. Nos im-
portune
de justo
Civili lo-
qui.

impetu in me effusi ruent heterodoxi philosophi. Existimabamus nos, dicent illi, de *Jure naturæ* te dicturum: nunc mutato subito cursu ad *Jus civile divertis*. Hæc est vestra Catholicorum inscitia, ut leges Romanas pro naturalibus habeatis. Adeoque inveteratus est vobis is error, ut nullis nostris heterodoxorum monitis erui is vo-

bis

bis possit, ne celeberrimi quidem Heineccii & scientissimi Wolffii demonstrationibus mathematicis.

Respon-
detur.
Omnes
populi vi-
vunt jure
naturæ.

95. Paullatim, O boni! paullatim. Primum: *Jure naturæ* vivunt omnes omnino populi. Et Germani nostri veteres nunquam servi, & multorum populorum domini; & nostri hodie Germani *naturæ* vivunt *Jure*. Quis vestrum hoc negat O Domini heterodoxi? Ais, vivere ipsos *Jure naturæ* sed non solo, præterea enim vivere *Jure civili*, & Romano.

Ad quod
rite intel-
ligendum
& servan-
dum ad-
didere Ju-
ra Civi-
lia quæ
non aliud
jus quam
naturale
conti-
nent.

96. Salva res est. Jam ex ore vestro vos judico. Si Germani *Juri naturæ* addidere *Jus civile*, haud utique addidere tanquam otiosum, aut tanquam vinculum, quo se ligarent, à *Juris naturæ* vinculo prorsus secretum. Imo addiderunt *Jus civile* tanquam proficuum aut etiam necessarium visum ad *Jus naturæ* melius & intelligendum & explendum. Ergo, ajo ego, Germani & veteres & moderni non audent *sola ratione* *Jus naturæ* intelligere nedum

servare: Ergo Germanorum hominum qui fuerunt & nunc sunt sensus à vestro tota diametro distat. Ergo Moderni Germani aliunde suamet prudentia & experientia jam determinati non habent opus adhortatione nostra, ne doctrinæ vestræ de sola ratione subscribant; doctrinæ scilicet alios quam modernos homines exigenti, aut alios ex modernis facienti.

97. Neu, quæso, recan- Objectio.
Jus natu-
ræ ratio-
ne, Civile
auctori-
tate intelli-
gunt auctori-
tate. Verba
guntur.
Respond.
ratione
intelliguntur,
nisi Omnia
malis dicere,
pedibus nos
intelligere &
capite ambula-
re. Non hoc
quæritur an
ratio intelligat
Jus naturæ,
non pedi-
bus:
ratio Jus civile?
Utrumque
intelligit ratio,
non pes aut
dorsum. Hoc
autem inter
nos sciscitamus:
Num ratio
se *sola* sine
subsidio auctori-
tatis sufficiat
ad rite ac
sempiternè
agnoscendum
quid aut
quare aliquid
sit *Juris naturæ*?
Num potius
Ratio ad
hoc agnoscendum
juvetur
mul-

quod co-
acti qua-
sierunt
Majores
in legibus
&c.

Quos præ-
heterodo-
xis audi-
re pul-
crum no-
bis

Jus civile
est ipsum
Jus natu-
ræ,

& est
IPSA ratio

multum aut etiam necessa-
rio legibus civilibus, reliqua-
que auctoritate. Hac tota
in quaestione nostri majores
& moderni re ipsa ad servan-
dum & ostendendum populis
Jus naturæ adsciverunt Jus
civile; non adscituri nisi aut
utile ad hoc aut necessarium.
Ergo valete vos pauci He-
terodoxi Domini & Jura,
per me licet qualiacunque
vobismet à Jure naturæ
non pendentia adeoque se-
creta pro lubitu & sapientia
vestra omnibus Germanis
longe superiore constituite.

98. Deinde alterum addo
verbum. Vestri stomachi
gratia interim non dicam
Jus civile esse Jus naturæ.
Sed si tamen sine ingratis
vestris id dixero ab hetero-
doxis ipsis non dissensero.
Gundlingius, non ignobile
inter vos nomen, non du-
bitavit, injussu licet vestro,
profiteri, Jus Romanum,
imo omnium gentium Jura
civilia, continere ipsam Ra-
tionem, reginam Heineccio
adoratam. Enimvero Ra-
tio ipsa vetans & jubens est
ipsissimum Jus natura. Gund-
lingio ergo vestro promul-
gatore omnium gentium le-

ges civiles sunt ipsum Jus
naturæ, moribus, ut ipse
ait, hominum applicatum.
De Gundlingio quidem in
Larva detracta, non semel
egimus.

99. Sed tempus claudere
hos rivos, quibus deductis
liquidum opinor feci, hete-
rodoxos sola ratione metien-
tes Jus naturæ exclusis no-
minatim legibus civilibus,
rem facere moderno tam
Germanorum quam omnium
cognitarum gentium statui
prorsus oppositam & exitio-
sam. Cum enim omnium
gentium sensus in hoc con-
spiraverit, ut servandæ na-
turali justitiæ per rationem
cujusque solam non facile
assequendæ adminicula quæ-
rerent in quibusdam civili-
bus legibus (quæ revera na-
turales sed *hypothetica* sunt)
sive scriptis sive usu firma-
tis: facile est intelligere, aut
heterodoxos non scribere
pro gentibus modernis: aut
ex modernis alias facere, ea-
rumque statum subruere vel-
le. Qua re merentur ut ab
omnium modernarum gen-
tium auditu longissime ipso-
rum principia exulent.

Moder-
num sta-
tum de-
mutari
volunt
heterod.

100. For-

objectio.
velli ip-
fos, J. Ci-
vile ser-
vari,
sed ex eo
non agno-
sci Jus na-
turæ

100. Forte causabuntur,
ipsos non velle ut Jura civi-
lia non servantur à gentibus
earumve subditis: sed hoc
solum conniti, ex legibus
civilibus tanquam auctori-
tate constitutis & voluntate
entis superioris, non intel-
ligi Jus naturæ, quod utique
natura, non cujusunque
entis superioris voluntate &
auctoritate constitutum est,
atque adeo sola ratione de-
prehenditur, quæ est prin-
ceps doctrina D. Wolfii in
Larva detracta à nobis ex-
cussa velut atheismo mollem
lectulum sternens.

Responsio.
Hunc pe-
dantis-
mum esse,

vita reali
inutilem,

101. Respondeo enim hanc
esse vere otiosam *speculatio-
nem, Schulfuchseren Jargon,
& Pedantismum*, de quibus
in ingressu hujus tractationis
diximus: quod ad reapse in-
telligendum servandumque
Jus naturæ ex sensu omni-
um gentium nihil conferat,
& præterea ob affinitatem
atheismi non parum pericu-
li habeat. Nam leges huma-
nas non esse justas neque
obligatorias nisi in Jure na-
turæ fundentur, certum est.
Jus naturæ ego sola ratione
cognosco. Quod si igitur mea
ratio non deprehendat Jus

naturæ in hac lege humana,
imo & in divina positiva,
eandem legem censebo inju-
stam, nec eadem obligabor.
Et sic stupidissimi quique
erunt exleges; nam aucto-
ritas lex eis non est, nisi ra-
tione agnoscat eorum fun-
dus, qua ratione plurimum
carent stupidi. Doctissimi
vero quique etiam ipsi erunt
exleges, quia acuti sunt ad
inveniendum excusationes,
& prompti ad controversias
legibus faciendas. Vid. in-
fra Num. 150, &c. usque ad
Num. 159. & Num. 193.

102. Sed neque adhuc ob-
jectionum finis est. Ait
non nemo: leges civiles pa-
cem duntaxat externam rei-
publicæ spectant: Jus natu-
ræ etiam internam animæ:
est igitur hæc inter discrimen
non leve, & aliud aliter co-
gnoscitur: nec lex civilis or-
dinatur ad cognoscendam
aut servandam legem na-
turæ.

103. Uno verbo absolvi-
tur responsio: Falsa hæc ef-
se omnia. Falsum, legem
civilem tantum ordinari ad
externam. Cum enim exter-
na ipsa ordinata sint ad in-
terio-

pacem
etiam in-
ternam,

teriora hominis tanquam no-
bilia, hoc ipso quidquid
ad externa ordinatur, ordi-
natur etiam cum ipsis exter-
nis ad interiora: ut annulus
catenæ primus connexus se-
cundo, per secundum con-
nectitur tertio ac denique
ultimo.

Alias di-
cendum,
quod non
obligent
in consci-
entia:

104. Deinde hoc nihil est
aliud quam dicere: Leges
civiles tantum spectant pa-
cem externam: ergo per le-
ves civiles licitum est furari
clam, occidere clam, limi-
tes eruere clam, fraudare
tributa clam. Sive leges ci-
viles omnesque humanae non
obligant in conscientia, mo-
do nequid externe turbes.
Quo constituto nec obliga-
bunt in conscientia iussa quæ-
cunque majorum. Ea vero
doctrina si locum nanciscit-
ur, valete Principes, ma-
gistratus, republica valete.

id quod
respubli-
cas peri-
culo ob-
jicit;

Cum sit impossibile diu, hu-
mano ingenio inobedien-
tiam ex occulto non erum-
pere finire in apertum, si
conscientiæ cum pace id fie-
ri potest. Nam à metu ex-
terno defendere se modis
variis pugnabunt & pote-
runt. Itaque homines de-
scitanti securi facta manu

irruent in principes & magi-
stratus eosque loco move-
bunt, tanquam qui ipsi saepe
videantur pacis publicæ ex-
ternæ turbatores, fuscita-
tores bellorum, emunctores
fortunarum. Videant igitur
Principes quam belle
decipiantur Juris naturæ lar-
vati promissis. Promittunt

Tali Jure
naturæ
decipiun-
tur Prin-
cipes.

Principum potestatem infini-
tam facere, & ejusmodi fun-
damenta locant, ex quibus
proclivis est ad capita illa
demetenda accessus. Quis
enim ratione sola usus de-
monstrabit sibi, hunc magi-
stratum sibi esse sequendum
etiam cum gravis est for-
tunis?

Sed pedem aliquando pro-
moveamus ad interiora, quo-
rum nos commonere hi,
quamquam aliud spectantes.

**Decima quarta ac
Decima quinta Conditio
status moderni hominum
in Germania.**

105. **E**am sic ante explica-
vimus. Quod nu-
merata hactenus Juris natu-
ralis adminicula nondum
sufficerent ad medendum fa-
tis

adlecta est
à majori-
bus Reli-
gio Chri-
stiana,

tis hominum nostrorum mi-
seræ conditioni, adlecta est
in subsidium *Religio Christia-
na*, oblata Germanis nobis
per viros externos, amore
boni vere communis arden-
tes eoque ardore ad nos ad-
actos, cum primis ex Anglia
Scotia, & Francia non sine
nutu & cura Romanæ sedis
Præfulum.

Socrates
optavit
reipubli-
cæ reve-
lationem
divinam

106. Socrates ejusque di-
scipulus non ignobilior Pla-
to legum adminicula, nedum
solam rationem, insufficien-
tia agnoscentes, præsertim
quod in origine justitiam de-
genda suam sibi rationem
mire caligare deprehende-
rent, unice exoptarunt, ut
quis ex divinis personis tan-
dem ad nos descendat, à
quo tandem Verum disci-
mus non alia via certo ac
indubitato discendum.

Id ipsum
necessa-
rium
agnovere
Majores
Germani,

107. Quod tanti Philoso-
phi ac Philosophorum mo-
ralium Principes & parentes
acuto ingenio agnoverunt,
id majores nostri quamvis
doctrinis istis Philosophicis
destituti, agnoverunt tamen
& ipsi. Nam si non existi-
massent, veram Justitiam
doceri denique à persona ali-

qua divina debere, certe non
recepissent doctrinam Chri-
stianam, quæ magnis testibus
dicebatur edita fuisse à per-
sona divina, quam Christum
vocabant. Sed dixissent,
quod obscuri ingenii homi-
nes modo dicunt, exempli
causa, quod dicit Puffen-
dorffius: Abite vos Scoti,
Brittanni, Romani alique
extranei sacerdotes. Affertis
doctrinam, quam dicitis à
persona divina allatam fuisse,
& ex qua veram justiti-
am discamus. Abite in-
quam. Habemus justitiam
naturalem cujus scopus est
pacem reipublicæ nostræ,
nobis vero commoda hujus
vitæ tantum comparare. Do-
ctrina hujus personæ divi-
næ ad rempublicam nostram
non quadrat. Divina est,
revelata est, ut dicitis. Non
autem ideo quod revelatum
est aliquid, est naturaliter
justum. Nos naturaliter ju-
sto regimur, à vestra doctri-
na regi mores, vitamque no-
stram posse ne speretis. Vos
ex miseris & desperatione
commodorum hujus vitæ
profligati scopum vestrum
collocastis in bonis futuræ
vitæ, neglecto ac prodito
scopo totius nostræ natio-
nis,